



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

543. Quænam reservationes contineantur in prima regula cancell.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

cia, dum de his ordinarij collatores adhuc non disposuerint, non reservaverit; quemadmodum Pontifices aliquando solent reservare beneficia omnia, quæ vacaverint in mensibus Apostolicis, Sede Apostolica vacante, de quibus ordinarij collatores tempore assumptionis non disposuerint, præsertim ubi Sedes diu vacavit. Chok. loc. cit. n. 21. & ad reg. 1. num. 23.

Questio 541. Qualiter regula hæc, ut ligent, seu jus faciant extra Curiam, & sententia juxta eas lata subsistat, sint producenda?

Respondeo, ad hoc responderi per reg. 27. cur. jus hoc contentum; cum regula hæc plerumque mutari soleant, dum Pontifices posteriores regulis decessorum addunt aliquid aut diminuunt, usu sic exigente, hinc, ne occasione hujus mutationis & diversificatis dubium oriretur, merito per hanc reg. 27. ordinatum fuit, regulas Cancell. nullam fidem facere, & non ligare, etiam si millies aliquid in judiciis, nisi ex fonte Cancellaria, & ex mandato Vice-Cancellarii impetrata, in judicio producerentur. Sciendum autem est inter regulas cancelliar. aliquas esse, quas vocant de dandis, hoc est, quæ partibus petentibus dari, seu concedi solent, prout sunt omnes ferè judiciales, quæ habent decretum irritans: Alias esse, quæ non sunt de dandis, hoc est, quæ concedi non solent; eò quòd dent normam solis Officialibus Cancellaria, quò ad expeditiones literarum, quæ si non sint expeditæ juxta illarum normam, remittuntur ad Cancellariam corrigendæ, & ista non faciunt fidem extra Curiam, Prioris generis, ut faciant fidem extra Curiam, dantur sub plumbo in forma aliarum Bullarum præmissa supplicatione ad Papam. Sufficit autem in Curia, quòd deatur per Vicecancellarium sine speciali mandato Papæ, cum subscriptione tamen duorum Abbreviatorum.

2. Porro regula semel in judicio producta in Curia ad instantiam alicujus, potest postea ad illius vel alterius instantiam pro quacunque causâ repeti, habitâ de hoc fide à Notario producente; idque ut evitentur expensæ & circuitus, & sic habet consuetudo, ut semel in uno judicio prolata, in altero inter concives ejusdem territorij produci possit, & fidem faciat, ut Coler. de process. execut.

3. De cetero sententiæ lata contra regulas, si eæ non sint productæ, subsistunt; etsi enim pleraque regulæ habeant verba illa in fine apposita: nullius sint roboris, vel momenti, vel similia, quæ aliâ nullitatem ipso jure inducunt, atque ita etiam sine partis objectu; in casu tamen hoc de stylo Curia Romanæ requiritur, ut excipiantur de regula, illaque in judicio producatur; dicta enim verba, seu decretum irritans in regula appositum habet tacitam hanc conditionem: si is, cujus favorem respicit, uti voluerit. Et huic sententiæ tanquam veriori de regulis dicto modo producendis, si ve eæ notiores sint, si ve minus notæ, inhæret Mandos. ad cit. reg. 27. q. 1. apud Chok. in rub. reg. cano. n. 21. ipse tamen hic contrariam sequitur sententiam, citatque pro ea Bald. in l. leges sacratissimas. c. de ill. dum id sic limitat, ut non procedat in regulis notis & usitatis, quæ probari possunt per codices regularum in Urbe impressos, vel quæ glossis variorum Doctorum sunt illustratæ, & comprobata, & à pluribus Jurisconsultis explanata, adeò que egerit

P. Leuren, Fort Benef. Tom. II.

non videntur aliâ productione ad instar Extravagantium publicarum & notarum, quas ignorare non licet, & contra quos lata sententia est nulla; unde ait, existare placitum Senatûs Sabaudia, quo indeterminatè definitum; sufficere regulas cancell. allegare, licet non proferantur sub plumbo; eò quòd sint notoria. Neque quòd in singula ferè lustra mutari possint, quicquam facit, cum non eò minus observari videamus, ut sint perpetuæ: itaque, qui correctas & immutatas dicit, id ipsum probare debet; ita dictum decretum Sabaudia, quod ex Fabro & Vamesio ibidem recitat Choch.

Questio 542. An, & quando derogetur regulis cancellaria per alias constitutiones, ordinationes, vel rescripta Apostolica?

Respondeo per nullam derogationem generalem, quamvis prægnantem & amplissimam derogatum censetur his regulis, Lott. l. 2. q. 39. n. 19. Chok. in præm. reg. cancell. num. 31. ex Gomef. ad idem præm. q. 4. n. 2. ubi etiam, quòd stylus cancell. à Rota receptus ita servet ac disponat, ut sub clausula generali: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis: non velit comprehendere regulas Cancellaria: sed opus esse, ut specialiter eis derogetur, vel ut istiusmodi derogatio generalis fieret, non per viam rescripti, sed legis; in quo casu per dictam clausulam generalem; non obstantibus constitutionibus, &c. censetur derogatum regulis Cancellaria, non factâ earum mentione, ut habet Gemin. in cap. cum non deceat. de elect. in 6. apud Chok. loc. cit.

2. Respondeo secundo: sed neque per clausulam: non obstantibus: regulis Cancell. positam in literis Apostolicis censeri derogatum regulis Cancellaria judicialibus notoriis, nempe de annali, trienniali, surrogandis &c. quinimo illud de stylo Cancellaria indistinctè servari, ut per dictam clausulam non censetur sublata regula, nisi earum expressa fiat mentio; atque ad eò earum tenor in principio literarum narretur, tradit Chok. loc. cit. n. 23. quod ait, ita tamen limitari à Gomefio; nisi in gratia vel supplicatione poneretur clausula generalis: quarum tenores habeantur pro expressis; tali enim casu censeri derogatum dictis regulis, pro quo citat quamplurimos Auctores.

Questio 543. Quanam reservationes continentur in regula prima Cancell.

Respond. primò: contineri omnes illas, quæ continentur in Extrav. ad regimen. de præb. inter communes. quæ est Benedicti XII. Item quæ continentur in Extrav. Execrabilis. inter communes. de præb. (quæ eadem est cum illa, quæ ponitur inter Extravagantes Joannis XXII. nisi quòd diversè glossatores habeant; ut Pirh.) & est Joannis XXII. utpote quæ Extravagantes, ut dictum, innovat, & locum habere vult hæc prima regula; & vel sic eas reddit perpetuas, cum de se essent temporales, saltem prima. Caltrop. cit. p. 17. n. 2. Garc. p. 5. c. 1. num. 192.

2. Harum Extrav. reservationes insuper extendit & auget hæc prima reg. Primò, dum vult & declarat, ut reservatio dictæ Extrav. ad regimen. locum quoque habeat in beneficiis, quæ Officialis Sedis Apostolicæ ibi expressi obtinebant, esto, tempore obitus Officialis esse desierint; & esto, beneficia illa assecuti non fuerint tempore officij,

T 2

sed

sed post dimissum officium, aut quodcumque alia. Hanc limitationem primò adiecit Sixtus V. (ac proinde non habetur in regulis aliorum Pontificum ante tempora Sixti V.) ad tollendum dubium, an scriptores Apostolici (ad quos proinde solos, & non ad alios Officiales Apostolicos extendenda videtur dicta limitatio, ut ipsa ejus verba indicant, & Auctores post citandi) dimisso hoc officio scriptoria, deserint esse tales, ac proinde beneficia eorum acquisita post dimissum hoc officium non essent reservata per Extrav. ad regimen, ad quod affirmativè responderat Rota: à qua sua decisione postmodum recessit, Garc. loc. cit. à num. 200 Castrop. loc. cit. Chok. ad reg. 1. n. 8. & 9. Lott. l. 2. q. 27. n. 96. unde jam esto, quòd quòdam participationem & numerum non reputentur amplius officiales Papæ Notarii & Protonotarii, postquam officia dimiserunt; reputantur tamen tales quòdam reservationem, Castrop. loc. cit. Garc. nu. 208. quamvis etiam, quòd scriptores Apostolici, seu quorum officio annexus Protonotariatus, dimisso hoc officio, sive dum non scribunt amplius actum, neque in officio illo se exercent, per privilegium & summam prærogativam, ortam nempe ex eo, quòd ista officia aliud non concernant, quàm secretarium ipsius Principis, remaneant Protonotarii, retineantque dignitatem & cingulum, alruat Lott. loc. cit. n. 95. & Garc. num. 205. dicens hoc ipsum privilegium per non usum non esse abrogatum, seque novisse, qui dimisso officio scriptoris Apostolici, uti Protonotarius crearetur Notarios.

3. Secundò: dum vult, ut eadem reservatio se extendat etiam ad omnia beneficia, de quibus Ordinarii ac alii collatores contra Concil. Tridentini decreta, & præscriptam ab eo formam disposuerunt, aut in futurum disponent, v.g. dum contulerunt beneficia non habentibus ætatem à dicto Concilio requisitam, aut curata non per concursum &c. Hanc quoq; appendicem dictæ regulæ adiecit Sixtus V. occasione constitutionis Pii V. data 16. Maji 1566. non servata. Castrop. loc. cit. Chok. num. 10. Garc. n. 209. In quibus autem casibus inferior respectivè ad Papam collatur conferre contra decreta Concilii, aut contra eorum formam, vide Lott. l. 2. q. 31. fusè per totam. Quæ tamen extensio intelligenda non nisi, ubi Ordinarius collator sciens, aut scire debens diserneret de beneficiis contra decreta Concilii: secus si per istum errorem facti, seu ignorantiam facti probabilem diserneret, v.g. quia, factâ debitâ diligentia, existimavit providendum habere ætatem, aliàsque qualitates à Concilio requisitas; ista enim reservatio facta est in odium Ordinariorum, disponentium de beneficiis contra decreta Concilii, quòd odiù cessat, cessante culpa. Castr. l. c. n. 3. & Chok. n. 11. ex Garc. n. 211. Addit quoq; Garc. n. 210. non habere hanc dispositionem hujus regulæ locum in beneficiis, de quibus patroni disposuerunt contra decreta Concilii, etiâ subsecutâ institutione Ordinarii; cum sit in odium Ordinariorum disponentium (intellige liberè, seu per liberam collationem) de beneficiis contra dicta decreta. Plura de hac reservatione ob non servatum Trid. de illius restrictione vide apud Gonz. ad reg. 8. gl. 6. num. 111. & seq. ad quem remittit Chok. num. 10.

4. Respondeo secundò: ad sciendum igitur, quæ hæc regula prima in particulari reservet beneficia præter jam dicta, videndum est, quæ reserventur per citatas Extrav. Talia reservata per Extrav.

ad regimen, sunt; primò omnes Patriarchales, Archi-Episcopales, Episcopales Ecclesiæ, Monasteria, Prioratus, dignitates, personatus, officia, canonicatus, præbendæ, Ecclesiæ, aliæque beneficia cum cura, vel sine ea, sæcularia & regularia, quæ licet fuerint, etiam consuetæ conferri per electionem, vel quemvis alium modum, nunc apud Sedem Apostolicam quocumque modo vacantia.

2. Secundò, beneficia vacantia per depositionem, vel privationem, vel translationem, aut muneris consecrationis suspensionem factas aut faciendas auctoritate Apostolicâ. Castrop. loc. cit. citans Gonz. gl. 91. n. 32. Barb. de pot. Episc. alleg. 57. n. 35. addensque, ad hoc, ut hæc beneficia vi hujus Extrav. reservata censentur, requiri, ut fiat privatio, depositio, suspensio per sententiam, saltè declaratoriam, criminis. Porrò hoc ipsum etiam obtinere vi concordatorum Germaniæ, notat Simonet. de reserv. q. 89. n. 6. apud Chok. loc. cit.

6. Tertio, beneficia, de quibus, sive in concordia, sive in discordia facta, vel futura in posterum electio vel postulatio, quæ postmodum fuit cassata, repulsa vel renunciata ab electis vel postulatis, admittisq; per eundem Papam, vel ex auctoritate Apostolica apud Sedem Apostolicam, vel alibi. Dicitque Castrop. hæc eadem reservari per Extrav. ex debito. de elect. inter communes, citatque Gonz. ubi ante. num. 34.

7. Quarto, beneficia vacantia & vacatura per obitum S. R. E. Cardinalium, Officialium, nempe Camerarii, Vice-Camerarii Notariorum, Auditorum literarum contradictarum, & Apostolici palatii causarum, Correctorum & Scriptorum Apostolicorum, Pœnitentiarii præfata Sedis, Abreviatorum, Commensalium, & aliorum quorumcumque Capellanorum Sedis ejusdem, quorumcumque Legatorum, Nunciorum, ac in terris Ecclesiæ Romanæ Rectorum, Thesaurariorum, per Romanos Pontifices specialiter deputatorum, seu missorum, & in posterum mittendorum, ubicunq; dictos Legatos Rectores aut Thesaurarios, antequam ad Curiam Romanam redierint, seu venerint, mori coegerint. Ubi sub nomine Officialium etiam comprehendi Acolythos & Cantores Papæ, indicat Castrop. loc. cit. ex Gonz. gl. 51. n. 13 & 14.

8. Quintò, beneficia quorumcumque, pro quibuscunq; negotiis ad Romanam Curiam venientium, aut decedentium Curialium infirmitatis vel recreationis, aut alia de causa, si in locis à Curia ultra duas dietas non distantibus (modò Curiales ibi domicilium non habeant) decesserint, aut decessuri sint, de quo supra.

9. Sextò, Monasteria, Prioratus, Decanatus, personatus, administrationes, officia, canonicatus, præbendæ, Ecclesiæ, aliæque beneficia quocumque, sive regularia, sive sæcularia, sive cum cura, sive absque ea, quocumque modo, etiam non nisi per electionem concedi solita & debita, quæ promoti auctoritate Apostolicâ ad Patriarchatum, Archi-Episcopatum, Episcopatum, vel monasteriorum regimina tempore hujus promotionis obtinebant.

10. Circa quæ notandum primò, quòd licet beneficium obtentum priùs non vacet ipso jure, quousque Episcopatus pacificè possideatur, nihilominus huic reservationi sit subjectum à tempore dictæ promotionis factæ per Sedem Apostolicam, ita ut nullatenus renunciari possit. Castrop. loc. cit. citans Paris. de resign. l. 3. q. 1. n. 77. (qui dicat sic servari ex stylo Curie) Azor. p. 2. l. 7. c. 16. q. 12.

Ugol. de off. Episc. c. 1. §. 2. n. 3. Barb. de potest. Episc. alleg. 57. n. 68. Germon. de indult. Card. §. si verò. n. 21.

11. Secundò, quòd dicta reservatio solum intelligenda de promotione ad Episcopatum utilem, non autem de promotione ad Episcopatum titulare; cum hæc promotio absque reali adeptione possessionis talis Episcopatus non inferat beneficiorum obtentorum vacationem; adeoque nec reservationem. Castrop. citans Germon. ubi ante. n. 26. Paris. n. 89. Barb. n. 74. Chok. ad reg. 1. n. 23. citans Achil. de Grassis. decis. 2. de elect.

12. Tertiò, quòd si tali promotio ex privilegio Sedis Apostolicæ concedatur retentio beneficiorum unà cum Episcopatu &c. posse ea resignari; quia per dictum privilegium hæc reservatio suspenditur. Castrop. ibid. Sed neque, si talis post concessam dictam retentionem moriatur, etiam in partibus, habita ab illo promotionis tempore beneficia ex tunc comprehendi hæc reservatione, eò quòd jam non vacent per promotionem ad Episcopatum, cum & ipse vacet, sed per obitum Episcopi, tanquam probabilis tenet Castrop. ibid. contra Barb. loc. cit. n. 76. & Simonet. de reserv. q. 27. n. 5.

13. Septimò: Eadem omnia beneficia paulò ante nominata vacantia aut vacatura per affectuonem pacificam quorumcunque Prioratum, dignitatum, personatum, officiorum, canonicatum, aliorumque beneficiorum auctoritate Apostolicâ provisorum, seu providendorum.

14. Circa quòd notandum primò, quòd, si secundum tale beneficium, per cuius affectuonem vacat prius habitum, obtentum non fuerit auctoritate Apostolicâ, sed per Ordinarium, non comprehenditur hæc reservatio. Castrop. loc. cit. citans Barbof. ubi ante. num. 77. & Gonz. gl. 51. num. 36. & 38.

15. Secundò, quòd solet quandoque aliquibus provisus à Sede Apostolica ab Eadem fieri gratia, ut intra duos menses post adeptam possessionem beneficium obtenti, aut à die, quâ per illos steterit, quò minus ea obtineatur, teneantur prius habitum in manibus Papæ liberè dimittere (per quam clausulam, ut Garc. tacitè dispensatur, ut per illos duos menses possit retineri primum cum secundo, & ideo ratione illius Bulla pluri taxatur) alioquin utrumque vacet, & soli Papæ sit reservatum; quâ gratiâ factâ nequit impetrans resignare aut permutare illud, nec in manibus Ordinarii liberè resignare, sed necessariò in manibus Papæ, vel quòd idem est, Notarii Apostolicæ Camera, alioquin utrumque vacat, & Papæ est reservatum. Castrop. cit. p. 17. n. 3. citans Barb. num. 78. Garc. p. 11. c. 5. n. 55. quem vide.

16. Respondeo tertiò: Extrav. Execrabilis, reservatur non solum beneficium tempore promotionis jam habitum, sed etiam beneficium secundum (intellige cum primo incompatibile. Chok. loc. cit.) ad quòd quis auctoritate Apostolicâ (secus, si ad secundum ab Ordinario promoveatur, ut Castr. loc.) promovetur, si hoc obtentò prius habitum beneficium statim non dimittat coram Ordinario, sed simul retinere contendit vel pergit; idque ipso jure, & ut ait Chok. sine ulla alia monitione, ut nuper resolvisse dicit S. Congreg. Concilii: videntur tamen præscindendo ab ista affectuone secundum factâ auctoritate Apostolicâ (quippe beneficia quæcunque vacantia per affectuonem quorumcunque aliorum per Papam collatorum, seu auctoritate literarum Eiusdem reservantur per Extrav. ad R. Leuren. Fori Benef. Tom. 11.

regimen) vi hujus Extrav. non reservari beneficia priora, quæ per adeptuonem posteriorum vacant virtute c. de multa. de prob. sed solum posteriora, quæ propter indebitam & illicitam retentionem priorum vacant vi hujus Extrav. tradit Garc. p. 11. c. 5. n. 45. citans Oldr. conf. 152. n. 2. Felin. in c. causam, quæ. de rescript. num. 4. limit. 5. Nav. conf. 12. de rescript. n. 12. & 14. Quintadv. l. 4. n. 94. Zerol. p. 1. v. beneficium. §. 3. (qui etiam ait, sic se vidisse servari in praxi, & in facto non vidisse adiri Sedem Apostolicam pro collatione parochialis, quæ vacabat per affectuonem alterius) Gonz. gl. 15. n. 42. Flores de Mena. q. 13. n. 7. qui etiam dicit, reservationem illam primi vacantis propter affectuonem secundi esse jam antiquatam, & se nunquam vidisse fieri mentionem vel exiltimationem de tali reservatione, contra Æn. de Falcon. de reserv. q. 3. n. 12. Cosimam. in pragmat. tit. de reserv. v. execrabilis. & Parisium de resign. l. 7. q. 16. n. 22. porro illa devacuatione & reservatione, si quæ fortè inducitur ob collationem secundi factam per Papam, intelligenda, dum possessio secundi beneficii est pacifica de facto & de jure, pro quo citat Mascard. de prob. concl. 183. n. 12. & Garciam p. 11. c. 5. n. 105. & cum commodo fructuum; eò quòd, si fructus vel majorem eorum partem percipere nequeat, non vacet primum; pro quo citat Garciam, ubi ante. n. 123. Utrumque quoque tradit Lott. l. 2. q. 30. à n. 9. eò quòd ante perceptionem fructuum non videatur plenè adeptus possessionem; quin & addit n. 13. non sufficere hujusmodi perceptionem, nisi etiam lapsus sit terminus, saltem duorum mensium à die adeptionis, intra quem sumi possit conjectura, an possessio sit pacifica; quia nimirum intra illud tempus non moveatur lis aliqua, citatque pro hoc Callad. & Gabr. & Rot. in Callagur. beneficii. 22. Jan. 1622. Unde etiam, ut ait n. 14. mos invaluit, in literis Apostolicis, super provisione de incompatibili adjiciendi decretum de dimittendo infra tale tempus, quò computatur à die possessionis pacificè acceptæ, vel certè ab eo, quò stat per provisum, quò minus possessionem adipiscatur. Unde etiam si existet intrusus in beneficio, provisus de eo prorsus excusabitur, indeque evitabitur privatio, & eam consequens reservatio, etsi intra tempus illud beneficium prius non dimittat. Lott. loc. cit. n. 15. citans Gonz. gl. 15. nu. 116. & Garc. p. 11. c. 5. à num. 101. nequaquam tamen evitabitur privatio, si prorsus omittat facere diligentiam pro executione & extrudendo intruso; dum enim decretum his verbis conceptum est: *vel per se steterit*; virtualiter & expressè præfigit terminum, non tantum ad assequendum, sed etiam ad adhibendum diligentiam & omnem conatum; nec amplius allegari potest impedimentum ex intrusione alterius, nisi doceatur de diligentia adhibita pro eo detrudendo: esse enim posset, quòd intrusus mox, ut vocatus fuisset coram Executore, vel sponte cessisset, vel fuisset per Executorem decreta immisso, exturbato illo de possessione. Lott. loc. cit. num. 16. & 17. contra Garc. loc. cit. n. 105. Addit tamen Lott. n. 18. quòd, si beneficium imperatum esset plenum, & provisus ideo abstinuisset ab illius affectuone, aut affectuonis attentatione, quòd compertum haberet (vel ut dicitur in summario dicta q. 301. timeret) provisionem sibi factam de jure non subsistere, & possessorem non posse de jure dimoveri à sua possessione, reservationem non afficere provisionem respectu primi beneficii. Notat iu-

super Chok. quod quo ad retentionem secundi soleat quandoq; Papa dispensare ob merita personæ, vel tenuitatem proventuum (cujus dispensationis clausulas ibidem refert) in quo casu dicta reservatio, uti dictum ante, suspenditur.

17. Inducit insuper dicta *Extravagans* præter vacationem & reservationem utriusque beneficii inhabilitatem perpetuam personæ (nimirum quæ cum secundo beneficio retinere intendit primum) tam ad Ordines, quàm ad quævis alia beneficia obtinenda. Porro notandum, quod & ipsa hæc *Extrav.* exprimit, per Ordinarios, de quibus in illa, intelligi Episcopos, in quorum diocesis beneficiis hujusmodi, vel eorum aliqua aut ipsi, qui ea dimittere debent, existunt & commemorantur: debeantque hi ipsi Ordinarii, quamprimum possunt, de beneficiis istis tam dimissis quàm perditis (quia non dimiserunt, adeoque ipso jure illis privati sunt) Sedem Apostolicam certificare, ut hæc de iis disponere possit. Item, quod beneficia Ecclesiastica, quomodocunque nuncupata, illa hic dicantur curam animarum habere, quæ parochias habent, in quibus cura animarum, non per vicarios perpetuos, sed per rectores aut ministros ipsorum beneficiorum, vel eorum temporales vicarios exercetur. Item quorū ministris ratione beneficiorum hujusmodi competit visitare, inquirere, procurationes recipere, censuras infligere, & ab his absolvere, vide Pirh. *de præb. n. 342.* ubi etiam numeris antecedentibus & consequentibus alias refert *Extrav.* beneficiorum reservatorias.

Questio 544. Reservationes ille contentæ in binis illis Extravagantibus, fundatæ nimirum in affectuone beneficii incompatibilis cum priori, vel etiam in intentione retinendi simul prius habitum, vel in quo provisio facta contra decreta Trid. ut intrent, qualiter probandum sit factum, ex quo illa resultant, ab eo, qui hujusmodi beneficia reservata impetrat à Papa?

Respondeo, debere ab illo clarè & perspicuè deduci, & plene justificari factum illud, propter implicitum præjudicium alterius. Lott. *cit. q. 30. n. 7.* Garc. *p. 11. c. 5. n. 42. & 43.* citans pro hoc aliquot claras Rotæ *decis.* Et hinc, si imperrer beneficium tanquam vacans ob affectuonem alterius incompatibilis, minimè jvari per testes ex publicâ voce & famâ, aliâve probatione semiplenâ, Lott. *ibid. n. 8.* Nec satis erit probare factum affectuonis, nisi etiam certificet perceptionem fructuum, Lott. *n. 9.* Garc. *n. 44.* juxta Rotæ decisionem, quam tamen ait, non videri sibi veram, si requiratur actualis perceptio fructuum. De cetero bene justificato hujusmodi affectuonis facti, plene intrent reservationes hujus regulæ. Lott. *n. 24.* Neque etiam excusari possit, qui affectus fuisse incompatibile per affectuonem de facto; ne stultus videretur melioris conditionis quàm sapiens; cum possessio injusta & perperam accepta in odium capientis habetur pro justa & legitima. Lott. *n. 25. & 26.* Hoc ipsum tamen, nempe affectuio de facto, seu injustè capta possessio non est sufficiens ad inducendū effectum execrabilitatis, seu reservationem inductam per *Extrav. Execrabilis*, ita ut sic amissum censetur utrumque beneficium; ut enim sit locus dictæ *Extrav.* exigitur in specie, ut quis contendat retinere primum. Lott. *n. 27.* citans

Cassad. Lap. Rot. &c.

PARAGRAPHVS V.

De reservationibus contentis in regula secunda & tertia.

Questio 545. Quæ beneficia reserventur per regulam secundam?

1. **R**espondeo reservantur primò Ecclesiæ Patriarchales, Primatiales (quæ vox majoris lucis gratiâ, nimirum ut expressè Ecclesiæ Primatum, seu primatiales comprehenderentur, adjecta fuit modernis regulis, dum in antiquioribus non reperitur, ait Chok. *ad reg. 2. n. 7.* qui scripsit ad regulas cancell. editas à Paulo V. ut ipse *in rubrica regularum*) Episcopales, nec non omnia virorum monasteria, valorem annum hanc. florenorum aut communi æstimatione excedentia (quem excessum in literis exprimi voluit hæc regula) quomodocunque vacantia, & imposterum vacatura.

2. Circa quod notandum Primò, hanc reservationem inductam ad vitandas discordias, contentiones & lites, quæ ex electione canonicorum oriebantur, Castrop. *p. 18. n. 2.* Secundo reservari hæc Ecclesiæ majori cum latitudine, quàm reservantur per *Extrav. ad regimen.* & regulam primam, dum ibidem reservata non sint, nisi quatenus vacaverint. Castrop. *ibid. ex Azor. p. 2. l. 6. c. 30. q. 10.* Tertio, intelligendam reservationem hanc de monasteriis non quibuscunque, sed iis solum, quæ monachis destituta, vel solita dari in commendam, dicta alias Consistorialia; ed quod de iis consistorialiter perviam scedula provideri solent. Chok. *ad hanc reg. n. 20.* citans Gomez. *in sine. q. 45. de Surrogat. collig. Mandos. ad hanc reg. q. 3. n. 3.* Germon. *de indulg. Card. §. regularia. n. 7.* Castrop. *n. 3.* citans insuper Azor. *ubi ante. c. ult. n. 10. & Gonz. gl. 51. n. 50. & 59.* Quarto hæc reservationem non derogari juri, quod habent Reges, sive ex privilegio, sive ex consuetudine ad nominandum seu presentandum in dictis Ecclesiis, Garc. *p. 5. c. 1. n. 219.* citans Rebuff. *in pr. 3. part. signature n. 64.* Covar. *pract. qq. c. 36. n. 2. & 6.* Castrop. *loc. cit. n. 2.* citans Barb. *de pot. Ep. p. 3. alleg. 57. n. 85.*

3. Secundo reservantur dignitates & beneficia omnia spectantia ad collationem, presentationem, electionem, & quamcunque aliam dispositionem Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum aliorumque quoruncunque collatorum ac collatricum, sæcularium & regularium, quæ post dictorū collatorum obitum, aut Ecclesiarum seu monasteriorum, vel aliarum suarum dignitatum dimissionem, amissionem, vel privationem seu translationem, vel alias quomodocunque, usque ad provisionem successoris in eisdem Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, Apostolicâ auctoritate faciendam, adeptamque ab eodem successore pacificam possessionem vacant, & vacabunt imposterum.

4. Circa quæ notandum primò, hanc, uti & sequentem contentam in hac regula reservationem, esse inductam à Pio V. quam postmodum alii ipsius successores laudarunt, & regulis cancellariæ à se editis inseruerunt. Chok. *ad hanc reg. n. 8.*

5. Secundo Notandum, extendi hanc reservationem quoque ad ea beneficia, quæ jure devoluto spectabant ad Episcopum, Archiepiscopum &c. reservantur enim hæc regulâ beneficia quomodolibet spectantia ad collationem Episcopi; terminus autem ille quomodolibet videretur comprehendere

non